



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



51
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XVIII.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie

De argumentis ex Scriptura de-

sumtis: quibus Becanus defendere satagit, Ec-

clesiam visibilem deficere, vel errare non

posse in fide,

Proposita

In Electorali Academia VVittebergenſi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S.Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

JOSEPHO ALAUDA, Leutschov. Ungaro.

In Auditorio Collegii Veteris

Addiẽm Aug.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXX.

COLLEGIUM TERTIUM
In Augustiniani Confectionem
DISTRICTIO XVIIII

CONCIUS
ARTIS VII

De Ecclesia

De argumentis ex scriptura de-

libris, quibus Beatus Hieronymus

etiam, non minus, vel certe non

In Ecclesia Academiis Vindoburgensibus

ANNO 1715

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Prof. in Theologiae Facultate

in Vindoburgensi

IOSEPHO ALABDA, Lectori Linguae

in Vindoburgensi

Typis Hereditariis Aulicis, Apud Typogr.
ANNO MDCCLXV





D. O. M. A.

Continuatio.



Uomodo Becanus ex hypothesibus nostris disputaverit, & probare conatus fuerit, visibilem Ecclesiam non posse deficere vel errare in fide, vidimus hactenus; sequitur, ut examinemus argumenta ex scripturis petita.

T H E S I S I.

Pergit ergo Becanus §. 30. *Atque haec argumenta, inquit, sumpta sunt ex concessione Adversariorum. Accedunt alia ex Scripturis. Primum ex Iesaiâ, qui capite 54. nihil aliud, quam de Ecclesie Christi fecunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoriâ contra haereticos, & alios hostes vaticinatur. Ac inter cetera sic eam alloquitur in personâ Dei, v. 4. Noli timere, quia non confundêris, neque erubesces. Confunderetur autem & erubesceret, si erraret in fide. Et v. 10. Montes commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te; & fœdus pacis mea non movebitur, id est, Etiam si montes de locò suò moverentur, & colles contremiscerent, non tamen misericordia mea recedet à te, & fœdus pacis mea, quod tecum inijsurum & irrevocabile mansurum est. Et v. 11. Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris. Et ponam Jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, id est, ego ita fundabo & stabiliam te, ut tempestate convelli non possis: Ita muniam te parois & propugnaculis, ut futura sis inexpugnabilis. Et v. 17. Omne vas, quod factum est contra te, non dirigetur. & omnem linguam resistentem tibi in iudiciò condemnabis, id est, omnes*

A 2

adver-



adversarii, quos Diabolus contra te excitabit, non habebunt successum: Et omnes hæreticos, qui tibi resistent in causâ fidei ac religionis, de errore convictos condemnabis. Quod etiam factum est hætenus.

II. *Argumentum Becani in hunc syllogismum resolvitur: Quæ Ecclesia non debet timere, quæque non confundetur, neque erubescet; illa non potest errare in fide: Ecclesia visibilis non debet timere, neque confundetur, neque erubescet: Ergo Ecclesia visibilis non potest errare in fide.*

III. Respondemus i. ad majorem, illius consequentiam necessariam non esse. Quandoquidem nullâ necessitate infertur: *Tu non debes timere, non confunderis, neque erubesces: Ergo non poteris errare:* siquidem ejusmodi promissio & adhortatio propterea potest institui, ut certus sis, *DEUM* te non deseriturum. Quare ad Minorem, quæ nititur priore dictô *Esaie 54. v. 4.* dicimus: dictô illô Prophetico non promitti puritatem, sed perpetuitatem: Deinde loqui illud non de Ecclesiâ, quatenus visibilis est & particularis: sed de illâ, ut Catholicâ. Si autem ad particulares visibiles applicare velis, oportet facias cum hac limitatione, *si manserint in fide, puritatemque & sinceritatem verbi divini conservaverint*, ut fiat sensus minoris: *Ecclesia visibilis, si manserit in fide, sinceritatemque verbi retinuerit, non debet timere, neque confundetur, neque erubescet.* Hanc enim limitationem ipse Christus addit, *Joh. 8. v. 31. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.*

IV. Argumentum secundum, quod hîc continetur, est: *Cui Ecclesie promittit Deus, quod misericordia sua ab ipsâ non recedet, & fœdus pacis sue non movebitur; illa non potest deficere & errare: Atqui Ecclesia visibili misericordiam suam Deus promittit &c. Ergo Ecclesia visibilis non potest deficere, neque errare.*

V. Respondemus ad minorem: Misericordiæ divinæ, & fœderis continuatio & firmitas rursus non promittitur Ecclesie, quatenus est visibilis: sed quatenus est fidelis ac vera. Deinde non quatenus particularis, sed universalis. Applicatur autem ad particularem sub antea datâ limitatione, nempe quatenus manserit fidelis, & in viis Domini ambulaverit, ipsiusque verbo sincerè adhæserit.

VI. Eo-

VI. Eodem modò intelligenda, & ad Ecclesiam applicanda sunt cætera dicta: quippe quibus nihil aliud probatur, quàm *Ecclesiam fore perennem*, quam nemo negat Lutheranorum: sed firmè credimus & statuimus, esse Ecclesiam perpetuam, quæ uti in paradiso cœpit, & hæcenus semper servata fuit; ita ad finem usque mundi duratura sit: Inde verò inferri & concludi posse: *Ecclesiam particularem neque errare, neque deficere posse*: Id Becanus non Lutheranis, sed Papistis Laicis, qui Jesuitis sunt instar equorum & mulorum nihil intelligentium, persua-deat.

VII. Et tandem, ut repetamus id, quod in præcedente disputatione diximus, loquuntur istiusmodi dicta de constante misericordiâ, & fœdere immutabili ex parte Dei: quod Deus pactum istud, quod iniit cum populò suo, nunquam rumpere velit, modò à parte Ecclesiæ non dissolvatur. Id verò sæpius ab hac violari, testantur querelæ Dei, apud omnes Prophetas institutæ:

VIII. Rerigit Becanus ad secundum argumentum, §. 31. *Secundum ex verbis Christi, (quæ planè conspirant cum verbis Esaie) Matth. 16, v. 18. Porta inferi non prevalebunt adversus eam. Quæ jam explicata sunt. Sed audiamus Augustinum lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 6. ubi ait: Ipsa est Ecclesiæ sancta, Ecclesiæ una, Ecclesiæ vera, Ecclesiæ Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illâ exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice suâ, in vite suâ. Porta inferorum non vincunt eam. Ubi manifestè loquitur de Ecclesiâ visibili, ex quâ exeunt hæretici. Non enim exeunt ex invisibili, in quâ soli prædestinati sunt, quia in eâ nunquam fuerunt. Igitur ex sententiâ Augustini, Ecclesiæ visibilis est una, Vera, Sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vinci aut expugnari non potest.*

IX. Respondemus. De Dictò illò Matthæi supra sufficienter actum est & demonstratum, quod eò promittatur perpetua, & nullis seculis interrumpenda conservatio Ecclesiæ, quæ suo fundamento, quod Jesus Christus est, 1. Cor. 3. v. 11. In-

nixa, contra omnem impetum Diabolorum inconcussa per-
fret & consistat. Sed quæ rursus ratio consequentiæ: Ecclesia
fundamento suo, Christo, innixa, semper sine interruptione
servabitur: Ergo Ecclesia visibilis Romana, vel quævis alia, non po-
test errare, vel deficere? Nulla. Servabitur enim Ecclesia, licet
Romana tota fuerit corrupta: Uti servata est, licet Antiochena
Ecclesia defecerit, & non amplius sit. Non enim ad locum
ullum alligata est. Et Ecclesia, quatenus fundamento suo in-
nixa manet, errare & deficere nequit. Fundamentum illud au-
tem quando deserit, statim in errore est.

X. Verba Augustini nihil quicquam pro sententiâ Be-
cani faciunt: Falsum enim est, quod sibi imaginatur Becanus,
ipsum manifestè loqui de Ecclesiâ, quatenus visibilis est: satis
enim clara & diserta sunt verba: quod agat de Ecclesiâ, quate-
nus sancta, quatenus vera, quatenus Catholica est. De quâ o-
mnia, quæ Augustinus ipsi tribuit, verè prædicari, nemo negat
Lutheranus. Nam licet in unô loco, v.g. Romæ, deficiat, ac pes-
simè erret Ecclesia: Non tamen propterea omnis ac tota Ec-
clesia subvertitur ac tollitur.

XI. Sed audiamus probationem Jesuitæ: Sic vult ar-
gumentari: Ex quâ Ecclesiâ exeunt hæretici, illa hîc dicitur ab
Augustinô Una, Vera, Sancta, & Catholica, quæ à portis infe-
rorum vinci, aut expugnari non potest: Atqui ex Ecclesiâ visi-
bili non invisibili exeunt hæretici: Ergo Ecclesia visibilis dici-
tur Augustinô, Una, Vera, Sancta, Catholica, quæ à portis infe-
rorum vinci aut expugnari non potest.

XII. Respondemus i. argumentum Becani, (quod ali-
ter, si pro ipsô aliquid concludere debeat, formari nequit,) esse
vitiosum in formâ. Nam minor cum reduplicatione, sive de-
terminatione est intelligenda, nempe *quatenus visibilis*. Jam
constat, quod determinatio, addita vel medio vel minori ter-
mino, faciat syllogismum vitiosum, cum terminus eô modô
dividatur, & tantum ex parte, & certo respectu dicat, quod ἀ-
πλῶς & sine limitatione dicere debebat: Illud autè est cōtra *Di-*
ctū de Omni vel Nullô. Ut in hoc: *Natus ex Mariâ virgine, est ater-*

mus Deus ex Deo ab aeterno genitus: Christus quatenus homo est natus ex Mariâ virgine: Ergo Christus quatenus homo est aeternus Deus, ex Deo ab aeterno genitus. Major & minor est vera: sed cōclusio falsa. Quod esse nō posset, nisi vitiosa esset structura syllogistica: vitiosa autē est, propter minoris determinationem: quippe quæ dividit Minorem terminū in certos respectus vel partes, & relictis cæteris tantum unum respectum vel partem sumit, eoq; terminum illum Minorem limitat ac restringit. Quia itaq; fieri potest, ut Medius terminus cum Minore termino, secundum illam partem, vel respectum accepto, consentiat. Major verò dissentiat, utique contingit, ut Major & Minor propositiones sint veræ, conclusio verò falsa inferatur. Quod nequaquam fieri posset, si juxta Dictum de Omni vel Nullo Major Terminus totus & integer, absoluteque acceptus sub Medio subsumeretur.

XIII. Deinde ut ad materiam quoque respondeamus, intelligitur ex dictis, committi in minore fallaciam accidentis. Nam Ecclesiæ, ex quâ exeunt hæretici, accidit, quod sit visibilis: Est enim Catholica, cujus accidēs est, visibile esse. Nō autem dicit Augustinus, hæreticos exire ex Ecclesiâ eō respectu ac ratione, quatenus hoc accidens in se habet: sed verba dissera sunt, quatenus est una, vera & Catholica, & contra hæreticos pugnat: quomodo per se consideratur. Si ergo ex sententiâ Augustini verâ esset argumentandum juxta modum Becaniani, tum non aliter, quàm hoc pactō formari posset vel deberet syllogismus: *Ex quâ Ecclesiâ exeunt hæretici, illa dicitur ab Augustino una, vera, Catholica &c. Atqui ex Ecclesiâ, quæ manet in radice suâ, in vite suâ, in charitate suâ, quamque porta inferorum non vincunt, exeunt hæretici: Ergo Ecclesiâ, quæ manet in radice suâ, in vite suâ, in charitate suâ, quamque porta inferorum non vincunt, dicitur Augustino una, vera, Catholica, contra omnes hæreses pugnans.*

XIV. Sed, inquis, quomodo possunt hæretici exire ex unâ, verâ & Catholicâ Ecclesiâ, in quâ nunquam fuerunt? Omnino possunt. Sic enim Joh. 1. Ep. cap. 2. v. 19. *E nobis egressi sunt,*

sunt, inquit, sed non erant ex nobis: permansissent utique nobiscum; sed hoc factum est, ut patet, quod non sint omnes ex nobis. Quorum sensus hic est: E nobis, qui constituimus veram & Catholicam Ecclesiam, egressi sunt; quia prolapsi sunt in hæresin, & sic in hæreticos mutati: contra quos, (ut utar verbis & explicatione Augustini) pugnat quidem Ecclesia vera, ab illis verò non expugnatur; sed in illâ pugná victoriam obtinens, hæreticos, tanquam sarmenta de vite præscissa, forâs ejicit: Eò ipsò autem, quò è nobis, & sic à verâ Catholicâ & semper permanente Ecclesiâ, exiverunt, & in hæreses prolapsi sunt, demonstrârunt, se è nobis non fuisse: hoc est, hæreseos causam nunquam fuisse sanam doctrinam verbî divini: sed propriam ipsorum malitiâ: quâ abjecerunt doctrinæ veritatem. Nam licet ex bonò, sive bonitate nunquam fiat malum sive malitia, & ex verâ doctrinâ nunquam falsa, sive nullum mendacium fiat ex veritate, ut hic loquitur Johannes, v. 21. tamen ex bonò homine potest fieri malus: Et ex verò Christianò Doctore fieri hæreticus, ut ex fideli potest fieri infidelis, sive ex credente incredulus, Luc. 8. v. 13. proindeque vera doctrina potest abjici, & falsa arripi & approbari.

XV. Atque hunc hujus dicti genuinum sensum esse, contextus evidenter comprobat. Postquam enim in proximè præcedentibus egerat Apostolus de falsis Doctores & Antichristis, qui in Ecclesiâ de Christi personâ & officiò nova spargebant dogmata, ut tum temporis erant Ebion, Cerinthus, Nicolaitæ & alii, quos hoc locò notat Johannes; subsequenter utique verbis, versu 19. contentis, subjicit occupationem, quâ usitatam illam calumniam, hæreses Evangelio imputantem, dissolvit, contra hanc ergo dicit Evangelista, culpam seductionis non Evangelio, sed hæreticorum levitati ac perverso ingenio adscribendam esse: qui in hæresin prolapsi aliquandiu simulant quidem sinceritatem cum veris Christianis: sed vel tandem se produnt, dum novis cudendis dogmatibus à doctrinâ sanâ & communione fidelium se separant.

XVI. Nullus ergo hic respectus habetur ad visibilitatem.

tem Ecclesiæ: sed ad veritatem: Non enim ex visibili Ecclesiâ propriè exeunt hæretici: sed ex verâ Ecclesiâ: Cum invisibiles in Ecclesiâ possint latitare, & cum invisibili quoque Ecclesiâ quoad confessionem, imò etiam veram fidem ad tempus conjungi. Quandoquidem contingit, ut Ecclesiâ tristem obscurationem passa, tota quidem defecisse videatur, non tamen tota defecerit: proinde sua adhuc habeat ac retineat invisibilia membra: quorum etiam postea quædam propter ingruentem persecutionem, vel etiam ob honores, favores, similiaq; commoda hujus mundi obtinenda, veritatem doctrinæ abnegent, & hæresi adstipulentur, eamque approbent, & totam amplectantur, sicq; latentem ac invisibilem Ecclesiâ relinquant, ex eâ exeant, & cum visibili malignantium sese conjungant.

XVII. Unde nobis suppeditatur tertia responsio, quâ vel negari potest formati th. 10. Elenchi Becani minor: & dici, quod non ex Ecclesiâ visibili necessario hæretici exeant: sed etiam ex invisibili: quatenus illa sumitur pro cœtu latente ac invisibili fidelium, sive electorum, sive ad tempus credentium: vel accusari fallaciæ à dicto secundum quid: cum non tantum ex visibili, sed invisibili quoq; Ecclesiâ hæretici egredi possint, ut probatum.

XVIII. Videamus nunc tertium argumentum, à Becano § 33. propositum: *Tertium, inquit, similiter ex verbis Christi, Matth. 28. v. 19. Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, quasi dicat, Ego mitto vos in universum orbem, ut apud Ethnicos predicetis Evangelium, & Sacramenta administretis. Occurrent quidem multa pericula & adversitates, quia Diabolus, qui ubique suos habet cultores & idololatrias, crudelissimè vos persequetur: sed forti estote animo, ego non deseram vos: adero vobis & successoribus vestris usque ad finem mundi. Ego, inquam, adero. qui nuper dixi, non relinquam vos orphanos. (Job. 14. v. 18.) Ego, qui dixi: Confidite, ego vici mundum. (Job. 16. v. 33.) Ego, contra quem Princeps hujus mundi non habet quicquam. (Job. 14. v. 30.) Ego, cui pater promisit, ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. (Psal. 109. 2.)*

B

19. Ar.

XIX. Argumentum, in formam syllogisticam resolutum, tale est: *Cui Ecclesie Deus promisit perpetuam suam assistentiam, illa non potest errare in fide. Atqui Ecclesie visibili Deus promisit suam perpetuam assistentiam: Ergo Ecclesia visibilis errare non potest.*

XX. Respondemus ad Majorem, quam tanquam certam ac nullo modo dubiam sine probatione ponit; cum interim probatione magis, quam minor indigeat. Negamus igitur illam ejusque consequentiam. Quandoquidem per assertam assistentiam Christi, non statim negatur vel removetur omnis error Ecclesie: Cum hæc duo, 1. *Christum promisisse suam perpetuam assistentiam Ecclesie*; & 2. *Errare non posse*; nequaquam sint opposita, quorum unò positò tollatur sive removeatur necessariò alterum: sed prius commendet Christi veritatem ac bonitatem. Posterius verò Ecclesie imbecillitatem: adeò ut rectè dicatur: licet Christus perpetuò ac verè juxta suam promissionem adsit, & assistat Ecclesie; non tamen Ecclesia propter suam imbecillitatem planè omnis erroris ac lapsus immunis est: Ut ergo nihil concluditur hoc syllogismò: *Cui Ecclesie Christus perpetuam suam assistentiam promisit, illa non potest peccare. Ecclesia visibili Christus perpetuam suam assistentiam promisit. Ergo Ecclesia visibilis non potest peccare.* Ut, inquam, hoc syllogismò nihil concluditur, propterea, quod Major sit falsa: Sic eodem planè modo, & ob eandem causam Becani syllogismus rejiciendus est.

XXI. Non ergo per assistentiam Christi, Ecclesiam conservantem, demonstratur, quod vel errare vel peccare ea non possit; sed quod non possit penitus perire: hoc modò: *Cui Ecclesie Christus promisit perpetuam suam assistentiam, illa, licet errare & peccare possit, non tamen penitus interire potest: Atqui Ecclesie Christus promisit perpetuam suam assistentiam: Ergo Ecclesia, licet peccare & errare possit, penitus tamen perire non potest.*

XXII. Deinde in eadem majore committitur fallacia, & vitium à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: Ideoq; sic est limitanda ac determinanda: *Cui Ecclesie Christus suam*

suam perpetuam assistentiam simpliciter & absolutè promisit, adeò ut illam immediatè regere ac gubernare in fide velit; illa non potest errare in fide. Hæc certa ac firma est. Et quia talem promissionem habebant Apostoli; utique in fide nequaquam errare potuerunt: cum juxta illam, Spiritus sanctus ipsos ducebat in omnè veritatem. Job. 16. v. 13. Simulque loquebatur ipse per illos: Ut ergo Spiritus sanctus, spiritus ille veritatis, errare nesciebat, sic etiam Apostoli à veritate deficere non potuerunt.

XXIII. Sic verò limitatà Majore, negamus minorem. Quandoquidem suam assistentiam sic absolutè ac simpliciter nullibi promisit Christus Ecclesiæ visibili; sed semper cum conditione: Job. 8. v. 31. *Si manseritis in sermone meo, semper discipuli mei eritis.* Quæ Christi verba imitatur idem Evangelista, Epist. 1. cap. 2. v. 23. *inquiens: Si in vobis manserit, quod audivistis ab initio, & vos in filio & in patre manebitis.*

XXIV. Christus igitur suam quidem assistentiam liberaliter ac benignè promittit, ipseque semper ex suâ parte fideliter facit ac præstat, quod promisit, ut praxis ministerii id satis ostendit & testatur: Requiritur autem, ut Ecclesia, cui promissio facta est, suum quoque faciat officium, h. e. Christo obediat, ejus verbum diligenter audiat, semper in conspectu habeat, fideliter custodiat, & per omnia sequatur.

XXV. Quare hoc etiam modo corrigi posset Major: *Cui Ecclesiæ Christus promisit suam perpetuam assistentiam, quæque suum quoque facit officium, Christo obedit, ejus verbum diligenter audit, conservat, & per omnia sequitur; illa non errat in fide: Si jam subsumatur Ecclesia visibilis, eiq; tribuatur ita limitatus medius terminus hunc in modum: Ecclesiæ visibili Christus promisit suam perpetuam assistentiam, ipsaque rectè per omnia facit suum officium, sequitur Christi mandata, ejus verba diligenter audit, custodit & servat &c. Quis verò illam concederet? Sanè ne Jesuita quidè.*

XXVI. Tandem neganda quoq; est minor. Nam allegata dicta, non loquuntur de Ecclesia visibili: sed de invisibili Electorum: proindeq; promissio illa de perpetua assistentia & conservatione ad solos Electos pertinet: quippe qui propriè vera Christi Ecclesia sunt.

XXVII. Subjicit Becanus §. 34. auctoritatem Augustini: Hoc etiam testimonio, inquit, utitur Augustinus, Conc. 2. in Psal. 101. contra Donatistas, ubi introducit Ecclesiam ita loquentem cum Christo: quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdit me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in isto seculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & jam non est: apostatauit & periit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annuntiavit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Hic adverte, quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos & Calvinistas, qui etiam dicunt, quod illi dicebant: Ecclesia Catholica jam non est, sed fuit: apostatauit & periit. Contra quos similiter licebit exclamare: Quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdit me periisse contendunt? Nonne tu Domine dixisti, ecce ego tecum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi? Certè non dixisti, Ecce tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot secula te deseram, usque ad tempora Lutheri & Calvini: sed disertè, omnibus diebus, usque ad finem mundi.

XXVIII. Respondemus, rectè, piè & eruditè Augustinum respondisse Donatistis: In responsione verò illà Patrem, per latera Donatistarum confodere Lutheranos, crassa ac palpabilis calumnia est. Nam mendacissimum est mendacium, nos Lutheranos unquam docuisse, Ecclesiam per aliquot secula à Deo planè desertam fuisse, & quidem usque ad tempora Lutheri: sed contrarium demonstravimus supra Jesuitis ad oculum & ad nasum, imò ad omnes sensus, nempe, nos nunquam paradoxū illud Donatisticum probasse, Catholicam Ecclesiam aliquando omninò non fuisse, apostatauisse & periisse de omnibus gentibus: sed semper docuisse, Ecclesiam etiam in densissimis Papatus tenebris divinitus servatam fuisse.

XXIX. Et sanè ipse Lutherus diligenter distinguit ipsū Papatum à Christianismo: & disertè fatetur, sub vel in medio papatu esse Ecclesiam Christianam, (sicut fuit in medià Babylone Ecclesia captivorum Judæorum) negat autem ipsū Papam

Papam vel papatum, esse Christi Ecclesiam. Addit rationem. Nam, inquit, in Papatu est aliquid, quod est Dei, nempe Sacra Biblia & Baptismus & Coena Domini: Et aliquid, quod est Papa proprium, quâ Papa, hoc est, Antichristus est: nempe prava scripturae interpretatio, traditiones humanae, superstitiones, idololatria &c. Quocirca Doctor Lutherus nequaquam negat; sed accuratè discernit pretiosum à vili, Christianum ab Antichristiano, verum à falso, bonum à malo, rectum ab obliquo, genuinum ab adulterino.

XXX. Hunc Præceptorem & Doctorem suum semper ac fideliter secuta est Lutherana Ecclesia, & falsa, *Ecclesiam veram non posse deficere: sed invisibilem planè fieri posse*, non quidem in se, sed in oculis mundi, & hostium ejus: quippe qui omnes cæci sunt. Pii interim se norunt inter se: & semper religionem suam animo & opere in Ecclesiâ & extra Ecclesiam visibilem, ubicunq; possunt & licet, profitentur. ubi non profitentur, non suâ faciunt culpâ, sed alienâ injuriâ. Quocirca semper profitentur, licet apud hos aut illos non profiteantur.

XXXI. Probare nihilominus Becanus fatatagit, nos Donatistarum falsam opinionem sequi. Primum igitur accusationem præmittit & recenset §. 35. *Deniq; (inquit) omnia argumenta, quibus olim Augustinus & alij Patres contra Donatistas usi sunt, valent etiam contra Lutheranos & Calvinistas. Et quidem potiori jure. Ut hoc melius intelligatur, prius explicandum est, quid olim Donatista docuerint de Ecclesiâ: quid nunc Lutherani & Calvinista doceant. Donatista docuerunt, Ecclesiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe periisse, propter crimen Cæcilianæ Episcopi & solum remansisse in eâ parte Africa, quæ Donato adhaerebat, ut testatur Augustinus in lib. de Hæres. cap. 69.*

XXXII. Falsissimam esse hanc accusationem, demonstratur ex antithesi sequentis articuli 8. Augustinæ nostræ Confessionis: Ubi disertis verbis Donatistarum error rejicitur: & laudavit tum Cæsar Principes protestantes, quod damnent Donatistas & veteres Origenistas. Idemq; cum toto articulo probarunt Johannes de Daventria, Johannes Hoffmeisterus, Jo-

hannes Cochleus, &c. Hos ergo, & non Bellarmi num (ex quo nugas hascce, ut cætera ferè omnia desumit) si secutus fuisset: non seipsum decepisset, & coram omnibus bonis malitosum publicè calumniatorem se declarasset & prostituisset.

XXXIII. Nunc porrò suam probationem §. 36. sub-
jicit Becanus: *Idem ferè docent Lutherani & Calvinista. Nam pri-
mò asserunt, Ecclesiam Catholicam, quæ primis quingentis annis toto
orbe fuerat diffusa, postea propter crimina Pontificis (quem Antichri-
stum vocant) toto orbe periisse. Secundo, ita penitus periisse, ut nus-
quam, nec in Europâ, nec in Asiâ, nec in Africâ, salva & incolumis per-
manserit; sed ubiq; adultera & apostatica fuerit deprehensa. Tertio,
postea nihilominus in eâ parte Europa, quæ Luthero adhærebat, reui-
xisse. In primo & tertio puncto similes sunt Donatistis. In secundo, de-
teriores. Igitur quidquid Augustinus & alii Patres contra Donati-
stas olim scripserunt, id vel pari, vel potiori ratione contra Lutheranos
& Calvinistas scripsisse putandi sunt.*

XXXIV. Respondemus, non posse nos satis mirari
impudentiam Becani, quod contra publica nostra scripta pro-
priumque suam conscientiam, Lutheranis ejusmodi crassas
affingat opiniones, quæ ipsis nunquam, ne per febrem quidem,
in mentem venire potuerunt. Nam quod primam attinet, de-
monstravimus supra, nobis maximam fieri injuriam; cum sem-
per probaverimus ac demonstraverimus, utcunque superiori-
bus seculis efficax fuerit error, nunquam tamen Ecclesiam ve-
ram penitus expirasse & defecisse: sed semper servatos fuisse
etiam in medio Papatu electos, qui, quanto hominibus erant
ignotiores, tantò notiores fuerunt Deo: proindeq; nullo tem-
pore veram Ecclesiam totam periisse, cum tota perire non pos-
sit vi promissionum Christi.

XXXV. Ut autem prima accusatio falsissima est: Ita
per se injuriosa falsitas secundæ patescit. Si enim omnibus su-
perioribus seculis usque ad Lutherum permansit vera Christi
Ecclesia, utiq; in aliquâ terræ parte illam permansisse necesse
est. Permansit autem, ut probavimus, in medio Papatu: Ergo
in quibus orbis terrarum partibus fuit Ecclesia Pontificia, sub
illâ

illâ pressa jacuit vera Ecclesia. Imò non tantùm in illis parti-
bus terræ; sed etiam in aliis, ad quas Pontificia Religio & Ec-
clesia nunquam pervenit, nempe in partibus orientibus.

XXXVI. Quandoquidem tota vetustas Græca, pri-
usquam Constantinopolitani Imperii facta est inclinatio, no-
stris Ecclesiis per omnia fuit *αὐτοψήφου*. Siquidem minimè
universum terrarum orbem, sed occidentem saltem Papatus
occupavit; orientem verò (quem & Provinciarum amplitudi-
ne, & hominum numero occidentem multis modis superare,
testantur historici) Romanum Pontificem pro universali ca-
pite Ecclesiæ Christi, nunquam agnovisse, iidem dilucidè &
nervosè comprobant.

XXXVII. Et quanquam post Imperii orientalis in-
clinationem nonnulli errores in Ecclesiam Græcam irrepre-
runt; minimè tamen in parem cum Romanâ Synagogâ idolo-
mania ac impietatis voraginem fuit abrepta & absorpta: sed
in plerisq; doctrinæ capitibus, iis præsertim, quæ de Justifica-
tione hominis peccatoris coram Deo agunt, nobiscum hodie-
que consentit. Cujus rei argumento nobis esse potest, quod
ante annos haud ita multos, Augustanam confessionem, prio-
rem illam, à nostris in Linguam Græcam conversam; Patriar-
chæ Constantinopolitani calculo approbatam, unanimi con-
sensu Græcæ Ecclesiæ receperunt.

XXXVIII. Quod si ergo Becanus, & socienni Ponti-
fici in individuo, & quasi digitis Ecclesiam veram visibilem,
quæ ante reformationem Lutheri, Lutheranam nostram re-
præsentaverit, sibi monstrari cupiant; en monstramus Orien-
talem & Græcam: quæ tantùm abest, ut Pontificem Romanum
pro capite agnoverit; ut illum cum totâ suâ Ecclesiâ apostaticâ
per Patriarcham Constantinopolitanum quotannis Domini-
câ invocavit, solèni ritu, tanquam hæreticum, publicè procla-
maverit, & anathemate ferierit.

XXXIX. Quod verò eandem nostram sub vi illâ, &
potestate planè tyrannicâ tenebrarum Pontificiarum pressam,
sibi monstrari cupiant, impudens nimis postulatum esse, quis
non

non intelligit? Sufficit monstrasse: Et insuper facile probare possemus, Ecclesiam veram & orthodoxam Novi Testamenti, ut ad nullum locum vel populum, sic neq; ad urbem populumve Romanum alligatam esse: Neq; si electi, sive vera Ecclesia, oculis corporis cerni nequit, ideo planè non esse, arguendum est, ut testatur Ecclesia tempore Eliæ Prophetæ, *1. Reg. 19. v. 19. Rom. 11. v. 3.* Item tempore Josiæ Regis, *2. Reg. 22.* Sic Elisæi temporibus sub persecutione impiæ & furibundæ Isabelis, novit Dominus mirabiliter suos servare Electos, absconditis Prophetis Domini. Sub Christi etiam adventum sub Pontificibus, Hanna, Caipha, Phariseis, Scribis & Sadducæis, in tantam caliginem vera Ecclesia fuit demersa, & ad tantam paucitatem reducta, ut sub aspectum non venerit: Neq; tamen penitus eam expirasse, vel Mariæ, Josephi, Simeonis, & paucorum aliorum exemplis probatur.

XL. Quod tandem Ecclesia Lutherana nihil omninò commertij habeat cum Donatistis, ex illarū collatione est clarum & manifestum. 1. Donatistæ non rectè & orthodoxè stantiebant de Sacrosancta Trinitate, sed proximè ad Arianos accedebant. Nam licet Filium ejusdem substantiæ cum Patre æterno fateantur, minorem tamen Patre Filium, & Filio Spiritum sanctum esse dicebant. Perversissimum hoc dogma à Lutheranis damnari, & nihil contra Catholicam & veram Ecclesiam in hoc articulo doceri, testis est Augustana nostra Confessio. Pontificii potius ab orthodoxa hujus articuli sententia divortium faciunt. Quandoquidem. i. cum unitate essentiæ divinæ pugnat, quod Bellarminus communi Jesuitarum nomine tueretur, præter Deum etiam sanctos invocandos & orandos esse. Nec potest illos distinctio inter *θελια* & *λατεια* excusare: cum cultus religiosus pertineat ad primam tabulam, solique Deo conveniat, nec gradus distinctos admittat. Et Paulus docet, *Rom. 10.* Fidem & invocationem ad idem dirigij objectū, nempe Deum. Deinde docent articulum de SS. Trinitate non ex Sacris scripturis, sed traditione probari: quo negant doctrinam de SS. Trinitate esse articulum fidei: qui verò fundamen-

talis

talis est articulus: quo destructo, tota nostra Religio & fides corrui: Destruitur autem, quando ex scripturis probari posse negatur: cum articulus fidei solo fundamento scripturæ nitatur, & ex eâ probari debeat.

XL I. Deinde Donatistæ statuebant, veram Ecclesiam omni macula & peccato carere, & planè perfectam esse. Et hoc dogma à scripturis alienum esse, docemus in Ecclesiâ nostrâ Lutherana: Approbant autem Pontificii & Jesuitæ, ut ex præcedentibus liquet.

XL II. Tertiò Donatistæ Ecclesiam visibilem ad certum orbis angulum coërcebant, docentes, Ecclesiam Christi nullibi esse, quàm in Africâ, & quidem tantum inter Donatistas: Atque hoc etiam dogma rejiciunt Lutherani: Pontificij verò quoad genus probant: quando Romanæ sedi Ecclesiam Catholicam alligant.

XL III. Quartò: Donatistæ ex verbis *Cant. 1. v. 7.* opinionem suam confirmabant, & verba allegoricè interpretabatur. Neque hoc Lutherani faciunt: Pontificij verò similem in modum, & pari allegoriâ illud *Johan. 21. v. 16. Pasce oves meas*, explicant.

XL IV. Quintò: Donatistæ blasphemi erant in Spiritum sanctum, dicentes, Apostolum Paulum per aniles fabulas & genealogias, intellexisse divina eloquia Legis & Prophetarum: Ab ejusmodi blasphemiam abhorrent Lutherani: Papistæ vero adhuc magis blasphemi sunt, omnem scripturæ universæ sensum adimentes, ipsamq; cereo naso & regulæ Lesbicæ comparantes, quæ mutato Ecclesiæ sensu suam quoq; mutet sententiam: cum non nisi secundum sensum Ecclesiæ Romanæ sit verbum Dei: & si autoritate Ecclesiæ Romanæ non fulciatur, ex se nullam majorem vel autoritatem, vel certitudinem habeat, quàm fabulæ Æsopicæ.

XL V. Sextò: Donatistæ obvios sibi quosvis in plateis & agris homines, à suis erroribus alienos cædebant, & furiosè jugulabant. Nostra religio ejusmodi intempestivum zelum damnat: & non gladio, non armis militiæ carnalibus, sed po-

tentia

tentiâ Dei, sed virtute spiritus verbum Dei propugnandum,
docet. Pontificiorum verò religio non tam docetur, quàm cogitur, & ab illâ alieni non argumentis, sed ferramentis, non ar-
cie verbi, sed ferri, non igne charitatis, sed carnificis, conver-
tendi vel omninò tollendi à Jesuitis jubentur.

XLVI. Septimò: Ut persecutionem in verâ Ecclesiâ
semper necessariam esse, docuerunt, & Gaudentius Thamuga-
densis Donatistarum Episcopus adeò persecutionis perferen-
dæ avidus videri voluit, ut minitatus sit, se, cum aliis suæ sectæ
perditis hominibus, crematurum seipsum in templo: Ita Pon-
tificij castigationes corporis afflictivas vel spontè assumunt, vel
à sacrificulis aut Episcopis sibi imponi patiuntur, ut sunt flagel-
la, quibus ad sanguinis usq; profluvium corpus lacerant & di-
laniant: quod nudo capite, nudis pedibus, extensis & dispan-
sibus brachiis benè multa miliaria conficiunt: quod ligneis calceis
utuntur: quod funibus nodosis cinguntur: quod humi cubant:
& alia hujus generis ludicra partim, partim impia (ut illa sem-
per judicavit Lutherana Ecclesia) corporis exercitia susci-
piunt.

XLVII. Octavò fuerunt etiam in hac sectâ circūcel-
liones, genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ, ut Au-
gustini verbis utar, non solum in alios immania facinora per-
petrando, sed nec sibi insanâ feritate parcendo; Tales in Papa-
tu sunt Monachi audacissimi, qui veneno vel ferro Reges &
Magnates interimere attentant, nihil curantes præsentissima
eaq; severissima mortis supplicia: quippe à suis magistris per-
suasi, se, ob ejusmodi facinora perpetrata morte vel ignomi-
nosissimâ pœnas dantes, confestim inter beatos & sanctos cœ-
lites referri & suscipi. Esse etiam inter ipsos, cum primis Jesui-
tas, & illorum artibus informatos ac doctos, sanguinarios &
truculentos, non tantum Donatistas, sed illis quoq; quos Da-
mascenus Thymoleontes nominat, homines crudeles & im-
manes, qui religionem ipsam in occasionem sævitæ & homi-
cidii impiè converterant, similes, ipsorum res egregiè ac præ-
clare (scilicet) gestæ in Hispaniâ, Galliâ, Angliâ, Belg. ô, novis
Insulis, imò in ipsâ nostrâ Germaniâ, plus satis restantur.

XLVIII. Nonò: Donatistæ interrogati, quomodo probent, se solos esse Ecclesiam, responderunt: Donatū fecisse hæc & illa miracula: homines ad memorias sive monumenta Donatistarum orantes exaudiri, ipsorum fratres & sorores vigilantes vidisse hanc vel illam visionem, vel dormiētes hoc vel illud somniasse. Eodem modo Pontificii suæ Ecclesiæ notam faciunt gloriam miraculorum, & lumen Propheticum, visiones & somnia, videatur *Bellar. lib. 4. de notis Eccles. c. 14. & 15.* Insuper etiam ad sanctorum suorum imagines & simulacra, imò & ipsa adorant, & se exaudiri credunt. Videatur *idem Bellar. lib. 2. de reliquiis & imaginibus sanctorum, c. 12. & seqq.* Contra docemus Lutherani miraculis, cū Religio nostra satis sit confirmata, non opus esse: imò nota hæc cōstituitur quasi *νεπηειου* Antichristi, *Matth. 24. v. 24. 2. Thess. 2. v. 9. Matth. 7.* Prophetiæ, visiones, & somnia cadunt quoque in Ecclesiam malignantium, & eos, quos jubet Christus à se in ignem æternum secedere, *Matth. 7. v. 22.* Tandem adorare imagines, vel per illos sanctos, aut ipsum Deum, idololatricum cultum esse, à Deo severissimè prohibitum docemus Lutherani, & ex Sacra scripturâ evidentissimè demonstramus.

XLIX. Decimò: Donatistæ docebant, Sacramenta sancta esse & efficacia, quando per sanctos homines dentur, virtutemq; Baptismi pendere à ministro, qui baptizat, qui, si bonus, salutaris sit baptismus, si malus, baptismum nihil prodesse. Ut igitur hi sanctitati personæ, sic Pontificij operi operato efficaciam Sacramentorum adscribunt. Et licet *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, cap. 1. & seqq.* hanc doctrinam speciosè pingat: negari tamen non potest, quod praxis illorum, & quæ de illâ habet *Alphonsus Virvesius*, imò ipsius Concilij Tridentini verba *sess. 7. can. 8* quibus *anathema dicitur, si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam*, novum Bellarmini colorem non admittant: ut pluribus suo loco videbimus. Ab utroq; autem figmento Religio Lutherana abhorret.

L. Undecimò: Donatistæ libero arbitrio tribuebant,
C 2 quod

quod homo possit suis viribus concreatis sine Spiritu sancto, & sic solis naturæ viribus, Deum super omnia diligere, præcepta Dei facere: Quam verò opinionem falsissimam rejicit & damnat Augustana nostra Confessio infra artic. 18. Quid autem Pontificij? Pontificij idem docent. Ut autem Augustinus distinguit inter Pelagianos & Semipelagianos: sic quoque distinctionem illam Pontificiis applicare possumus. Scholastici scripserunt, hominem ex puris naturalibus posse diligere Deum super omnia: quod negare non potest, sed disertis verbis fatetur Bellarminus, *lib. 5. de gratiâ & libero arbitrio, cap. 13.* Verùm addit non toti Ecclesiæ hanc opinionem esse tribuendam. Negare tamen non potest Bellarminus, ipsos sub Pelagianis comprehendi. Publica enim ipsorum doctrina hæc est: liberum hominis arbitrium post lapsum nequaquam amissum & extinctum esse, ut loquitur *Concilium Trident sess. 6. can. 5.* vel interuisse, ut scribit *Costerus in Enchiridio*, sed tantum vulneratum esse. Imò ipse Bellarminus recitaturus totius Ecclesiæ sententiam, sic scribit *lib. 6. de gratiâ & libero arbitrio cap. 15. Ecclesia Catholica in hominibus mortalibus secundum scripturas divinas, & communem Patrum consensum, eam libertatem defendit, per quam possint benè agendo mereri premium.* Et *cap. 14. Quamvis Deus sine nostro prævio conatu nos moveat ad volendum, non tamen efficit ipsum velle sine nobis operantibus consentiendo.* Sed hac de controversiâ suo loco pluribus.

L I. Duodecimò: Tandem Donatistæ dicebant, Ecclesiam Catholicam toto orbe periisse. Quod verò nullus Lutheranorum dixit. Hoc dicunt: hoc obijciunt, hoc defendunt, Ecclesias particulares, quæ Pontifici Romano adhæserunt & paruerunt, quantum publicum attinet ministerium, pluribus fidei capitibus erravisse, ut ex præcedentibus patet. Judicet igitur, qui cerebrum non in calcaneò habet, an Lutherani, an verò potius Pontificij Pelagianismi accusari, & convinci verè possint.

L II. Pergit Becanus §. 36. *Cum ergo Ecclesia Christi, ut hætenus ostensum est, non possit deficere vel errare in fide, propter peculi-*

culiarem Spiritus sancti existentiam, quam Christus illi promisit; magna omninò debet ejus esse autoritas, in negotio fidei ac religionis. Hęc autoritatem sæpè commendat Augustinus, ut lib. contra Epistolam Manichei, cap. 5. cum ait: Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesiæ commoveret autoritas. Et lib. de utilitate credendi, ad Honoratum, cap. 17. Cum igitur tantum auxilium, tantum profectum, fructumq; videamus, dubitabimus non ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen autoritatis obtinuit: cui nolle primas dare, vel summa profectò impietatis est, vel præcipitiæ arrogantis. Notent hoc adversarij.

LIII. Respondemus primùm, licet nihil debitæ autoritatis Ecclesiæ detractum velimus; gloriationem nihilominus Becani vanam esse, cum contrarium, nempe Ecclesiam, veram & visibilem posse errare, & scripturæ autoritate, & exemplis & ratione & testimoniis veterum, imò ipsorum Pontificiorum sit evictum & demonstratum, neque assistentia Spiritus sancti, quam Christus veræ suæ Ecclesiæ promisit, periclitatur, quando hæc vel illa Ecclesia particularis & visibilis errat: semper enim Spiritus sanctus suis assistit, licet illâ assistentiâ imbecillitas & fragilitas humana in hac vitâ non totaliter tollatur.

LIV. Augustinus in priore locò loquitur de se nondum converso, sed adhuc in Manichæismò hærente: quod qui negat, hunc necesse est librum illum nunquam legisse. Refert enim, quibus quasi gradibus paulatim à Manichæorum erroribus abductus sit. Nihil igitur aliud indicat, quàm Ecclesiæ autoritatem sibi credendi, & Manichæismo renunciandi occasionem præbuisse. Primas igitur dat Ecclesiæ veræ non in ordine ad scripturas; sed in ordine ad Ecclesias falsas: atque sic etiam Ecclesia vera verè culmen obtinet autoritatis. Quare hoc ipsò locò, *cæperam*, inquit, *credere*, non autem, *credideram*. Longè verò aliter de se conversò scribit hoc ipsò libro, cap. 14. *Fide jam valentiores facti, quod credimus intelligere*

meremur, non jam hominibus, sed ipso Deo, intrinsecus mentem nostram firmante & illuminante.

L.V. Posteriores quod attinet locum, fatemur, Augustinum Manichæis & Donatistis legitimam successionem sæpissimè opposuisse; verùm nõ simpliciter: sed quatenus successio doctrinæ juncta erat cum successione personali. Quandoquidem disertè protestatur, se de eâ loqui Ecclesiâ, quæ doctrinæ puritatem, ab Apostolis acceptam, constanter retineat. Unde lib. de unit. Eccles. c. 3. sic scribit: *In scripturis sanctis Ecclesiam requirimus. Et cap. 10. Nemo mihi dicat, quid dixerit Donatus, quid Parmenianus: quia nec Catholicis Episcopis consentiendum, sicubi falluntur, ut contra Canonicas scripturas sentiant. Notent hoc Jesuata.*

L.VI. Pergit Becanus §. 38. Porro in hac Ecclesia autoritate fundatur communis hæc regula, quam Catholici perpetuò urgent: *Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit. Vel, quod idem est, Unusquisque tuto ac securè potest id amplecti aut respuere, quod tota Ecclesia amplectitur aut respuit. Hanc regulam ubique tenuit Augustinus, & ex eâ definiuit hæc puncta. Primò, orandum esse pro mortuis, (lib. de curâ pro mortuis, cap. 1.) Secundò, parvulos esse baptizandos (Epist. 28. ad Hieronymum.) Tertiò, parvulis prodesse fidem eorum, à quibus ad baptismum offeruntur, (lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23.) Quartò, hereticos non esse rebaptizandos, (lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 33.) Quintò, librum Matthæi Evangelistæ Canonicum esse, non librum Manichæi, qui illi contrarius est, (lib. 28. contra Faustum cap. 2.) Sextò, Hereticis & schismaticis non esse præcisam spem salutis, si respiscant, (lib. inchoata expositionis Epist. ad Rom. post medium.)*

L.VII. Primum, Regulam, quam Papanos semper urgere dicit Becanus, quod attinet, in sanò ac verò sensu non negamus, nempe si cum hac limitatione intelligatur: *Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit ex scripturis & secundum illas. Sine hac verò i. simpliciter accepta & intellecta de Ecclesiâ visibili, non tantùm falsa, sed impia quoque est. Docet enim crassissimos errores, & falsas opiniones*

niones pro veris credendas & habendas esse: Cum visibilis Ecclesia, quatenus talis, tota corrumpi, & in errore esse possit, ut tempore Eliæ. Ergo juxta hanc regulam, rectè tum sensit & credidit, qui cum toto visibili cœtu publicam idololatriam frequentavit? Quid verò absurdus?

L.VIII. Augustinum ubiq; observasse hanc regulam cum nostrâ additâ limitatione, concedimus, sine hac, negamus. Quandoquidem interdum sequi ipsum morem Ecclesie, alibi fatetur, propter nonnullarum vel sanctorum vel turbulentarum personarum scandala: Quod forsitan ad primum punctum, utpote manifestè cum scripturis pugnans, applicari poterit: cum alicubi expressè dicat: *Injuria est pro Martyre orare.* Quæ verba Innocentius Papa in decretali de sanctis defunctis intelligenda esse tradit. Quare quando Augustinus loco à Becano allegato scribit, non parvam esse universæ Ecclesie, que in hac consuetudine, (orationum nimirum pro defunctis) claret, auctoritatem, id synecdochicè intelligendum esse, censemus. Mos enim iste in Ecclesia Apostolorum temporibus non fuit observatus, neque deinceps à Doctoribus usurpatus usque ad tempora Tertulliani: qui primus ejus mentionem injicit. Quare licet & nobis non parva sit Ecclesie auctoritas, tamen tanta nobis esse neque potest neque debet, ut illam sacræ scripturæ præferamus: Hæc ergo quia orationem pro defunctis improbat, auctoritas Ecclesie illam nobis nunquam persuadeat. Cætera puncta omnia ex scripturis decidi possunt ac debent primario & ultimo; ex judicio & traditione Ecclesie secundario.

LIX. Paragrapho 39. sic ergit Becanus: *Denique, ut semel dicam omnia, in omnibus sequendum esse judicium Ecclesie Epist. 118. ad Januarium c. 5. Ad hæc, inquit, ita respondeo: si divine scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus: ut jam non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequenter Ecclesia. Nam est hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.*

LX. Respondemus: in omnibus sequendum esse judicium

dicium Ecclesie simpliciter, verbis allegatis non dicitur ab Augustinò; sed tum demum, si illud ex Scripturâ fuerit derivatum; & idem quod Scriptura dicat & judicet. Nam non dicit Augustinus: *Similiter etiam si aliquid præscribat Ecclesia, in disputationem sive dubium haudquaquam esse vocandum: non sanè: sed ita jacent ejus verba: SI QUID HORUM (Quorum? certè quæ præscribit divinæ scripturæ autoritas: ad illa enim utpote proximè præcedentia, & ad aliud nihil refertur illud, QUID HORUM) tota per orbem frequentat Ecclesia, in dubium vocare velle, insolentissima insanie esse.* Quicquid enim præscribit scriptura, habet autoritatem divinam: Quicquid ex scriptura definit Ecclesia, similem, non verò parem habet autoritatem: ac propterea est recipiendum, & non vel in disputationem vocandum, vel temerè rejiciendum.

LXI. Et si omninò illa esset mens & sententia Augustini, quam ipsi affingit Becanus, nempe *in omnibus simpliciter sequendum esse judicium Ecclesie; utiq; non aliud ferre possemus judicium, quàm quod dedit Dominus Doctor Meyfartus, malè facere Pontificios, quod sequuntur Augustinum errantem: idem esse, ac si Davidem in adulterio & homicidio, Lotbum in incestu, Simsonem in scortatione, sequi vellent, & non in iis, quæ rectè fecerunt.*

LXII. Sed salva res est, illam non esse mentem Augustini, ut ex hoc ipsò locò demonstravimus, sic ex aliis quoque ejus testimoniis confirmatur, quibus normam fidei, & cultus divini solam scripturam sacram esse concedit; ut *de Bono Viduit. cap. 1.* Scripturam sanctam doctrinæ nostræ regulam: Et ipsum *jus Canonicum caussa 24. q. 1. cap. 21.* citat Augustinum *de Baptismo contra Donatistas. lib. 2. cap. 6.* cujus verba sunt: *Non afferemus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave est, hoc leve est. sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illâ, quid sit gravius, appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa cognoscamus.*

LXIII. Ecce tibi, scripturam & Augustinus & jus Canonicum non tantùm appellant stateram: sed stateram è thesauris

auris Domini: Alludunt enim ad id, quod in rebus Politicis fieri consuevit. In civitate enim quilibet Mercator suam habet stateram; quam quidem exactam esse oportet; potest nihilominus in dubium vocari, sitne justa ac sincera; an forsan malo artificio corrupta: Ideo in publicis thesauris asservari solet statera; quæ sit exactissima; ac de cujus rectitudine ac sinceritate nemo potest dubitare, proindeque sit regula, ad quam ceteræ omnes examinentur, ipsa autem non nisi ad seipsam. Significavit ergo Augustinus, scripturam non quamlibet esse turbam esse stateram, sed authenticam ex thesauris publicis, iisque non humanis, sed divinis, ex quâ judicandum sit, non tantum de qualibet doctrinâ, & cultu divino, sed etiam de omnibus, quæ sunt, vel dari possunt, regulis fidei, sive sit Papa, sive Ecclesia, sive Concilium, &c.

LXIV. Porro §. 40. pergit Becanus: *Hæc Augustinus. Et quamvis aliqua ex supra dictis punctis, quæ ex ipso allata sunt, soleant probari ex traditione Apostolicâ, ut cap. 2. §. 6. & sequentibus ostensum est; hoc tamen non obstat, quo minus possint etiam probari ex auctoritate Ecclesiæ: præsertim cum ex praxi, judicio, & auctoritate Ecclesiæ debeamus cognoscere, quanam sint traditiones Apostolicæ, & quæ non sint.*

LXV. Respondemus primùm negando, traditiones Apostolicas veras primariò probari auctoritate Ecclesiæ, cum ex collatione cum scripturis verè cognoscantur. Quandoquidem negare non possunt ipsimet Pontificii, auctoritatem Ecclesiæ non esse aliud, quàm traditionem non scriptam. Perinde est igitur, ac si totidem verbis dicerent adversarii Pontificii, traditionem esse viam dignoscendæ traditionis. Verùm serra hæc in infinitum recipiabitur. Si enim traditiones ob falsitatem mihi suspectæ sunt, quis adeo stupidus est, ut non videat, non posse mihi à vobis probari à traditione traditionem? Atque hoc nequaquam fieri posse, ipsa experientia satis docuit. Si enim auctoritate ac judicio Ecclesiæ falsæ traditiones à veris infallibiliter discernuntur, qui factum est, ut falsæ traditiones in Ecclesiam fuerunt receptæ?

LXVI. Respondet quidem Bellarminus, nullam falsam traditionem receptam fuisse publico Ecclesiae iudicio: sed quæro, qualenam iudicium intelligat per publicum Ecclesiae iudicium? Vel illud erit universale omnium Ecclesiarum: vel particulare quarundam. Si posterius utiq; falsum est, nullo unquam iudicio publico falsas admissas esse traditiones. Carthagine enim Concilium sub Cypriano, erat iudicium Ecclesiae tantum *usq; ad*, erat publicum, quia Concilium: Et nihilominus eo probatus est Anabaptismus: Et Concilia quædam Africana volebant pascha celebrari quartadecima Lunâ apud Eusebium: Certum ergo est, quod publicum Ecclesiae iudicium, falsi sit capax.

LXVII. Sin verò prius, hoc est, Oecumenicum iudicium: tum sanè non est remedium universale & adequatum: cum ipsemet Bellarminus concedat ac fateatur, Traditiones alias universales esse, alias particulares: Ipsa autem ratio evincit, has à iudicio universali omnium Ecclesiarum non pendere: Ergo saltem hic aqua hæret. Deinde & hoc certum est, quod universalia iudicia nulla sint, nisi in Conciliis universalibus & oecumenicis. At hæc tam rara sunt, ut sufficiens remedium esse nequeant. Quis ignorat, ab Apostolorum tempore usq; ad Constantinum, hoc est, spatio trium seculorum integrorum, nullum fuisse eiusmodi Concilium, proindeq; nullum eiusmodi iudicium notari posse? Ergo toto illo tempore traditio potuit esse suspecta, neq; satis certum fidei fundamentum. Quomodo ergo hæc se implicant, nemo non videt.

LXVIII. Nos ergo manemus constantes in nostra sententia, fatentes, esse quidem aliquam viam ac rationem certam, firmam, infallibilem & securam iudicandi de traditionibus, nec tam parum consuluisse Deum fidei Christianorum, ut hac parte eam desertam relinqueret: Eam verò nullam esse aliam, quam sacram scripturam: cui quicumq; non hærent, oportere miserè animo sensuq; distrahi, ideoq; fide verâ carere:

LXIX. Tandem concludit Becanus: *Nos cum Augustino eandem regulam amplectimur: ex ea speciatim deducimus, eos non errare.*

errare, qui defendunt purgatorium, sacrificium Missæ, Invocationem
Sanctorum, Exorcismum, & similia, quæ consensu totius Ecclesiæ, an-
tequam Lutherus & Calvinus nasceretur, recepta & approbata sunt.
Adversarii, si hanc regulam respuunt, nihil certi habere possunt in re-
bus fidei ac religionis, ut in Epilogo hujus capituli demonstrabo. Nunc
videamus, quid ipsi objiciunt contra ea, quæ hætenus dicta sunt.

LXX. Respondemus, 1. quomodo regula illa sit ad-
mittenda, quomodo non, id ex jam modo dictis innotuit. De-
inde Becanus falsò suos errores de Purgatorio, Missa, & simi-
libus superstitiosis & erroneis dogmatibus concludit ex illa
regulâ. Nam tota Ecclesiâ ita non sentit, sed tantùm Romana,
neq; hæc tota, sed duntaxat degenerans. Ubi enim Antichristi
tyrannis prævalere incepit, hæc dogmata invexit. Prima Ro-
mana Ecclesiâ, ab Apostolo Paulo plantata & docta, ut & uni-
versa vera & orthodoxa, semper ignoravit. Tertiò, Nequaquam
periclitabitur apud nos veritas, etiam si vel millies Pontificio-
rum traditiones nò scriptas, vel etiam alligatam regulam, sen-
su Pontificio intellectam, rejiciamus: longè enim firmiore &
certiore nititur Religio & fides nostra fundamento, nempe
sermone illo firmissimo Prophetico. Huic soli rectè facimus,
qui attendimus, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usq;
dum dies elucescat, & lucifer exorietur in cordibus nostris.
Nam illud certò novimus, quod nulla Prophetia scripturæ sit
allata libidine hominum, sed quod acti à Spiritu sancto locuti
sint sancti Dei homines, 2. Petri cap. 1. v. 19. & ult. Quod de nul-
lâ traditione Papisticâ probabitur. Tandem, quid respon-
surus sit Becanus ad nostras objectiones, vide-
bimus cum Deo in sequen-
tibus.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77





51

II TERTII
in Confessionem

TIO XVIII.

tinens

ARTICVLI VII.

cclesia,

in specie

ex Scriptura de-

us defendere satagit, Ec-

fficere, vel errare non

in fide,

posita

emia V Vittebergenſi,

RESIDE

ARTINI S.S.Th.

Primario, Facult. Theol.

pli Arcis Præposito,

NDENTE

DA, Leutschov. Ungaro.

Collegii Veteris

Aug.

BERGÆ,

IS AUERBACH, Acad. Typogr.

MDCCXXX.

